



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Quomodo scandalizandi sint multi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSVS 9.

Tunc tradent vos in tribulationē & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

QVÆSTIO I.

Quis status fidelium in mundo?

Omnes pie
persecutio-
nem pa-
siuntur.

Iudeorum
persecutio-
nes.

§. 1. **P**redicit aduersa, dolores, futura odia omnium gentium; quamuis multis à Græcis desit *ἐβλῶν* gentium. Omnium inquam improborum quos inter viuunt. Et vere omnino, omnium Apostolorum pietas & constantia per gladios, cruces, ignes, aliaque tormenta probata est. Nec alia est aliorum ratio, omnes qui pie volunt viuere persecutionem patientur, de Apostolis vide Act. 3. 4. 7. 8. 19. 14. 18. 24. 25. 26. Rabanus & Beda causam reddunt, cur tot malis Iudæi afflicti sint, quod non modo Christum crucifixerint, sed pertinaciter etiam Apostolos & sanctos persecuti fuerint. Nec tantum illos persecuti sunt ipsi infideles Iudæi, sed etiam plurimi ex illis conuersi grauissime Ecclesiam erroribus suis conturbant. Nec sine consolatione tamen hoc prædicit: cum addit, odium hoc non eorum culpa contractum, sed propter nomen suum esse accensum; carus autem duci suo miles est, quem acerbissime exosum hostis imperatoris habet. Imponebant quidem illis crimina, infanticidii, & pabulis inde, ut post conuiuium incesti, ut homicidae, sacrilegi, incesti haberentur, verum illæ calumniæ odiorum erant; ut docet Tertullianus: Si qui enim se negasset Christianum omnis illa accusatio cessabat. Vide Apolog. initia.

Quomodo vulgus de postulare solitū fuerit Christianos, lapidibus & incendiis inuadere, nec mortui parcere, idem ipse ostendit, sed docet eos pro veritate certare, & prædam habere vitam æternam, & gloriam placendi Deo. Christianos ergo ethnici cælo inferebant, dum omni illos furore exagitant, & trucidant. Nec impune tamen sua scelera habuerunt. Tertullianus ad Scapulam cap. 3. Tamen (sicut supra diximus) dolere necesse est, quod nulla ciuitas impune lacera sanguinis nostri effusione: Sicut & sub Hilariano præside, cum de arce sepulchrorum nostrarum adclamassent: Area non sint, arce ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. Ceterum & imbre anni præteriti, quid conmeruerit genti humanum, apparuit, cataclysmum scilicet & retro fuisse propter incredulitates & iniquitates hominum, & ignes qui super menia Carthaginis proxime pependerunt per noctem quid minati sint, sciunt qui viderunt, & pristina tonitrua quid sonauerint, sciunt qui obdormuerunt. Omnia hac signa sunt imminenti ira Dei, quam necesse est quoquo modo possumus, ut & annunciemus & prædicemus, & precemur interim localem esse. Vniuersalem enim & supremam suo tempore sentient, quæ exemplis aliter interpretantur. Nam & solille in conuentu Vicensi, extincto pene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, postus in suo hypsomate & domicilio. Habitu Astrologos. Possumus aque & exitus quorundam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse quod vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Hermianus in Cappadocia, cum indigne ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter traxisset, solusque in pratorio suo vastatus peste cum viuis vermibus ebullisset: Nemo sciat (acebat) ne se gaudeant Christiani. Postea cognitio errore suo, quod tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, pene Christianus decessit. Cocilius Capellain illo exitu Byzantino, Christiani gaudere exclamant. Sed & qui videntur sibi impune tulisse, venient in diem diuini iudicii. Tibi quoque opta-

mus admonitionem solam fuisse, quod cum Adumeticum aduultum ad bestias damnales, & statim hac vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis.

VERSVS 10.

Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.

QVÆSTIO I.

Quomodo scandalizandi sint multi?

§. 1. **A**dhortationis suæ causam adiungit grauilissimam. Fortiter enim pugnandum est, & constanter; idque omnibus omnium temporum Christianis inculcandum est, multi enim scandalizabuntur & deficient. Imo tradent inuicem, & gentibus in Ianienam, in for Bezam maluisse *ἀποδοῦναι* vertere pro *ἀποδοῦναι*, prodere pro tradere, cum apertus sit in Græco sensus, & verba clara; nec enim omnis traditio proditioe peragitur, sed aperta viæ professæ hostilitate, tradere populus, postulabat Christianos ad Leonem, de his Dominus loquitur. Cum dicit fore tradant inuicem, *ἀλλήλους* non indicat, infideles à fidelibus tradendos, sed vel fideles ab infidelibus, ut Syrus intelligi potest. Vnus vnus tradet, vnus vnus odio habebit. Vel potius cum vers. 9. de piis egisset, nunc ostendit impiorum conditionem, quorum alius alium odio habebit, & alternatim in sese sauiet; quod verissimum est; Nam primum tyranni, qui Ierosolymas tenebant, inimicissimi fuerunt. Deinde si quis consideret rabiem furoremque delatorum in Cæsariensis aulis, facile apparebit, per illas artes & Cæsarium improbitatem plures impios absumptos, quam per martyrium Christianos, ac mira sæpe conuersione reum; nam qui quæsitores sauebant tormentis, mox alio indice ipsi lacerabantur. Nullum auctorem cito, quia tota historia augusta talibus plena est. Nec tamen nego multos, qui scandalizati fuerunt, & à fide defecerant etiam in numero traditorum fuisse. Constat autem parentibus, filiis, fratribus, cognatis multis traditos. Lucia septuaginta annorum ab Euprepio filio defertur. Bellum enim erit ab hostibus, seductoribus, falsis fratribus.

§. 2. Prophetat Christus, & Caluianorum fidem indelebilem esse falsam, & præsumptuosam prædicit. Negant illi quenquam à fide, à iustitia discedere posse. Christus multos scandalizatum ita prænunciat. Scandalizati est impingere ut cadant, atque à fide deficient. Fidem igitur habuerunt, & perdidit. Tertullianus de præscriptionibus cap. 1. 2. 3. Idcirco ostendit non esse mirandum hæreses præualere interdum. Conditio præsentium temporum, etiam hæc admonitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, siue quia sunt; futura enim pronuntiabantur: siue quia fidem quorundam subuertunt; ad hoc enim sunt, ut si habendo tentationem, habeat etiam probationem. Vnde ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant, quantum sint: quum quid fortissimum est, ut omni modo sit, sicut causam accipit ob quam sit se vni consequitur per quam sit, ne esse non possit.

Et cap. 2. Ceterum nihil valebunt, si illas tantum valere non miscentur. Etenim dum mirantur, in scandalum subministrantur; aut quia scandalizantur, ideo mirantur quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet, ut malum vires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent. In pugna pugilum & gladiatorum, plerumque non quia fortis est vincit quis, sed

quæ non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullus
victus fuit: adeo idem ille victor bene valens postea compa-
ratus, etiam superatus recedit. Non aliter hereses, de quo-
rundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si
in bene valentem fidem incurrant.

Et cap. 7. Solent quidem isti miriones etiam de quibus-
dam personis ab heresi capitis edificari in ruinam. Quare illa
res illis fidelissimè, prudentissimè, & visitatissimè in ecclesia, in
illam partem transferunt? qui hoc dicens non ipse sibi respon-
det, neque prudentes, neque fideles neque visitatos astimandos,
quos hereses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut
probatur aliquis retro postea excidat? Saul bonus præ ceteris;
Simeon postea cecidit. David vir bonus secundum cor domi-
ni, postea cecidit & stupri reus est. Salomon omni gratia & sa-
pientia donatus à Domino ad idololatriam à mulieribus indu-
citur. Sicut enim Dei filio servabatur sine delicto permanere.
Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Do-
ctor, siiam Martyr lapsus à regula fuerit ideo hereses veritati
tem videntur obtinere.

At dicent: Non fuisse eos Christianos, qui scan-
daliari poterunt. Quos ergo horat Christus, ut
videant, ne seducantur, si Christianus seduci non pos-
sit? si autem seduci potest, cur non etiam scandaliza-
ri? cur illi vero scandalizari dicuntur, qui nunquam
vere crediderunt, sed hypocritæ latuerunt? Zwin-
glius eos fidem simulasse arbitratur, Bullingerus à fi-
dei professione defecisse. At illi qui fidem simulant,
fideque profitentur, cum sint athei, atque irrisores
religionis non scandalizantur, cum larvam abiciunt,
sed ingenue fucum produunt. Vorstius p. 2. Tessera-
dec. antipostoriana: In paucis locum habere dicit illam
exprobrationem suorum, nec vulgarem esse; nam nimis mul-
tos deficere videbat: & ab ea fide, de qua iam sibi cer-
tus erat, post defecit.

VERSUS 12.

Et quoniam abundavit iniquitas re-
frigesceat charitas multorum.

QVÆSTIO I.

Quomodo refrigesceat charitas?

§. 1. GRÆCUS textus habet ὅτι τοὶ πολλοὶ ἀποστή-
ναι, ob multitudinem iniquitatis, sic & Syrus con-
uertit. Quod in Græco est ἀποστήναι, refrigesceat. Sy-
rus rectè ἀποστήναι, elanguescet. Caritatem homi-
nis ergo Deum, & Dei servos intelligo, nemo Chris-
tianos excipiet facile, aut adiuvabit, 2. Timoth. 4. 6.
In prima mea defensione nemo mihi adfuit.

Caritatis refrigerationem accipio non imminutio-
nem aliquam duntaxat aut remissionem, sed extin-
ctionem. Nam opponitur perseverantia, qua sal-
vatur. v. 13. Constat igitur, ut docet Bellarm. lib. 3.
de iustificat. cap. 14. iustos posse deficere, caritatem
amittere, certe caritas multorum ante multitudinem
iniquitatum illis inerat, deinde refrigesceat, & perit,
perire non potuit, si nulla erat. Nec caritatem hypo-
critearum intelligere possunt adversarii, illa est frau-
dulenta amoris simulatio, nec iniquitatum multitu-
dine refrigesceat, sed ipsa non minima pars est iniqui-
tatum, sic blandiens, dolose persequens, Christus
de ea caritate loquitur, in qua qui perseveraverit, sal-
vus erit. Qui autem perseveraverit usque ad finem, salvus
erit. Perseverantia vero est, caritatis sincera ad finem
usque tutio, atque adeo fidei cæterarumque virtu-
tum, quas negant semel datas posse amitti: non con-
vertant alios esse. Perseverantes sicut in omnia,

perseverantes, non cedentes iniquitati, alios non
perseverantes, non, quia illa non habuerint; habe-
bant enim, sed in dono Dei non perseverarunt. Fi-
stra vero obtendunt, de perseverantia certos esse, cum
tot videant cadentium lapsus. Augustinus lib. 11. Nemo de
de civitat. cap. 12. Pios ait dicit beatos, qui licet de perse-
verantia premio certi sint, de ipsa tamen sua perseverantia
reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profe-
ctum iustitiam, perseveraturum usque ad finem sciat, nisi a-
liqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re, iusto la-
tentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit?
Zwinglius sensum inuersum esse ait. Quandoquidem
carnas ita infringit, scelus inundat, male enim accom-
modat, cum ait, Deum esse caritatem. Hoc enim loco
caritas refrigerans non est Deus. Bullingerus, veram
pietatem, beneficentiam, & religionem interpretatur, qua
gemina dilectione constat, Dei & proximi, & hanc defec-
tam facit. Calvinus subdole: Nam quia luce Evan-
gelii clarius deregitur hominum malitia etiam in prole, &
recte animatus languescit, ac fere exstinguitur beneficentia stu-
dium. Zwinglius quidem sententiam Christi inuer-
tit: nam ideo caritatem illi refrigerare pronunciat,
quia iniquitatis diluvio opprimitur, & exstinguitur.
Calvinus ne concedere cogatur caritatem extingu-
i, adiecit, fere, at constat eorum caritatem refrigerare,
quorum perseverantia labascit: qui proinde salute
excidunt, nisi per attentionem agant.

VERSUS 14.

Et predicabitur hoc Evangelium re-
gni in uniuerso orbe in testimo-
nium omnibus gentibus: & tunc
veniet consummatio.

QVÆSTIO I.

An Evangelium ante consummationem sit
predicandum in uniuerso
orbe?

§. 1. DE prædicatione Evangelii in uniuerso mun-
do magna controuersia est. In aduersorum
denunciatione semper consolationem ad animos e-
rigendos intermiscet. Mæstos enim de suæ gentis ex-
cidio promissione conuersionis multarum gentium
solatur, ut recte obseruat Bedæ; Id vero præcipue,
quod nondum eo tempore gentium conuersio cre-
debatur. Chrysostomus adiungit, bellis vndique fie-
mentibus futurum, ut non modo viuere, sed doce-
re etiam possint, itaque nequaquam desperandum
duce Christo, & auspice Christo. Quamuis au-
tem de conuersione gentium non loquatur, sed E-
uangelii prædicatione, quod etiam incredulis pro-
mulgandum erat; hoc ipso tamen conuersionem
inducat, cum & eam prophetæ prædixerint, & præ-
dicatio sine effectu, consolationem datura non fue-
rit.

§. 2. An de consummatione vrbis Ierosolymita-
næ, an vero de fine sæculi loquatur incertum, quibus-
dam videretur. Chrysost. hom. 76. in Matth. Enthym.
Theophyl. Ambros. lib. 10. in Luc. Hieronymianus
comment. Hil. can. 25. Anselm. de vastatione Ierusa-
lem intelligere videntur, ita tamen ut aliam interpre-
tationem etiam complectantur. Eam sententiam q.
92. multis assequere conatur Abulensis. Nec minus et-
iam sectarii inter se dissident. Maior tamen pars eo-
rum de præsentis vrbe, & eius excidio interpretatur.

Vera